



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Simone cruce signato, quem sancta Maria morientem consolata est,
cap. 57.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

ālapam est sanata. Vocabatur Albertus, & licet corpore fuerit castus, satis tamen extitit secularis & deliciatus, atque in vestibus curiosus. Ne tamen causari possis, quod vniuersorum Domina tantum claustralibus virginibus, vel continentibus decedentibus, suam præsentiam visibiliter impēdat, eosque ad vitam eternam perducat, personam laicam & vxoratā tibi proponam.

C A P V T L V I I .

Civis quidam de Tulpero, vir honestus, Cuno nomine, in hac extrema expeditione signatus, cum alijs peregrinis ad mare usque peruenit: ibi grauiter infirmatus, cūm moriturus esset, cœpit mirabiliter iocundari: requirentibus socijs de causa lætitiae, respondit: Quare non gaudeam? ecce Domina nostra sancta Maria hīc prælens est, & hæc mihi dixit: Cuno quia reliquisti uxorem, filios, & omnia tua, propter honorem filij mei periculis te expōnens, ego bene & plenè retribuam tibi: qui statim exclamauit: En video cœlum apertum, & in eo sedem mihi præparatam, ad quam celerius sum ascensurus; moxque sacro oleo postulans se inungi, & viatico Dominici corporis muniri, hominem peregre deposuit, & sicut verus peregrinus, in cœlesti patria laboris sui præmium suscepit. **A P O L L O N I V S :** Non miror, si homo iste justus, vel potius per crucis signationem justificatus, tam mirifica vidit & promeruit, sed, si nosti, dic vnde mirer. **C A E S A R I V S :** Duo tibi dicam exempla diuinæ pietatis, eiusque genitricis, quæ te non solùm in admirationem, imò etiam in stuporem meritò conuertant.

C A P V T L V I I I .

Miles quidam nobilis, sed criminosus, tempore quodam ab inimicis suis captus est, & quia mortales erant inter eos inimicitiaz, visum est eis expedire, ut in instati occideretur: cernes vir nobilis sibi morte imminere, & nullum adesse remedium vita, supplici voce dixit ad illos: Rogo vos intuitu Dei, ut ad modicum morte mea differre dignemini,